

vare et subvertere lingua et calamo non desistit, errorisque ac mendaciorum suorum vos ipsos vere-
rabiles Ecclesie Christi oculos intantum socios et
complices esse confirmat, ut in publico Ecclesie
nostrae conventu jactare ausus sit, ad hoc vos suis
persuasionibus in generali synodo fuisse perductos,
ut omnes manu propria suis ineptissimis libris sub-
scribere, et sic unanimiter sentire atque observare
velletis. Cui ego per majores natu respondi, non
solum me de tantis viris id credere nullatenus posse;
sed etiam mihi indigno, qui sum canis mortuus, et
pulex exiguus, tres prius digitos quibus scribimus
radicitus amputari vellem, quam errores hujusmodi
manus propriae subscriptione firmarem. Addidi
etiam quod si libri illi in bono concilio fuerint discus-
si et dijudicati, erunt procul dubio anathematizati:
quos etiam chorepiscopo Ecclesie nostrae velut valde
utiles omnibus jussit transcribere; quos cum ego ex
parte aliqua relegissem, et mendaciis plenos delira-
mentisque vidissem, dehortatus sum ne hoc penitus
fieret, librosque suo quantocius auctori restituendos
admonui, metuens videlicet ne oves Christi, id est
simplices quosque, ex eorum lectione quaedam va-
nissima curiositatis scabies aspergeret, et ardentis
papulae diri erroris exurere. Collegi autem ipse ac
digessi in ordinem, propriisque sermonibus expli-
cavi nonnulla quae in generali presbyterorum concilio
proposuit, disseruit, commendavit, ex quibus ejus
vanitas contemptui, imo execrationi pateat. Sed ne
quis me falsa putet asserere, veniat liber illius
in medium, et sceditatem sui publice legentibus
atque audientibus denudabit, ex quo et ista, quae
sincerissimo examini vestro adjudicanda offero, ve-
rissime ab illo prolata probabitur, cum illic multa

A insaniora legeritis, testes sunt horum chorepiscopi,
testes archidiaconi, testes omnes qui aderant pres-
byteri Lugdunenses, a quibus haec continuo irrita
ac repudiata, imo plancta et plorata cognovi, cum,
divinis assueti fluentis, de lacuna lutulenta bibere
cogerentur, murmurantes in nequissimo pane do-
ctrinae, de quo Ecclesiasticus loquitur liber: *In ne-
quissimo pane murmurabit civitas (Eccli. xxxi, 29)*.
Et testimonium nequitiae illius verum est, nec vero
ille divina docet, sed sua concinnat et fabricat, et
juxta Salomonem, *in similitudinem harioli et conje-
ctoris aestimat quod ignorat (Prov. xxiii)*. Succurrite
igitur, Patres piissimi, succurrite animabus nostris
*Modicum enim fermentum totam massam corrumpit
(I Cor. v, 6)*, et, juxta quemdam patrem antiquum,
si quid in fide falsi admittitur, intrat putredo de ve-
neno serpentis, nascuntur vermes corruptionis, et
nihil integrum remanebit. Testis est mihi omnipo-
tens Deus, quia haec non impulsu iracundiae tan-
quam laesus exaggero, quae ab ipso statim exordio,
dum adhuc se mihi utcunque blandulum exhiberet,
dolere ac detestari cepi, nec divinae ordinationi seu
imperiali pia provisioni, quod ille forsitan jactitat
velut rebellis existens, cum id mea exiguitas nec
cogitare unquam poterit, sed erroris odio, et amore
veritatis, Ecclesiae quoque matris meae vulneribus
condolens, cujus uberibus ab infantia alitus sum, in
qua et administrationis locum, et doctrinae ac praed-
icationis officium indignus exercui. Certe vitam
ego egentissimus, vel etiam moriar, si placet: tan-
tum pateat vulnus, putridum, pateat sanies putrida;
et omnes qui hoc tabescunt contagio, vobis opitu-
lante Christo medicantibus, gravi vetero depulso,
optata gaudeant sanitate.

FLORI DIACONI MARTYROLOGIUM

(Vide *Martyrologium venerabilis Bedae, hujusce Patrologiae tom. XCIV, pag. 798, et ad annum 876, Usuardi Martyrologium, in quibus eduntur Flori AUCTARIA*).

FLORI^a DIACONI

SERMO DE PRAEDESTINATIONE^b

(Bibl. Patr. max.)

Omnipotens Deus, quia verissime verus et solus
Deus est, omnino in sua aeterna et incommutabili
scientia praescivit omnia antequam fierent; sicut

(a) De Floro ejusque sermone haec habet Hincma-
rus in libro de Praedestinatione cap. vi, pag. 27.
• Hoc capitulum, sicut conferentes ex scripto Flori,
Ecclesiae Lugdunensis ministri, quod olim in Bonoilo
a venerandae memoriae Heriboldo episcopo Antissio-
dorensis accepimus, excerptum ex maxima parte in-
venimus. Quapropter utcunque a ratione non inve-

D Scriptura testatur, dicens: *Deus aeternae, qui es
absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam
fiant (Dan. xiii, 42)*. Praescivit ergo sine dubio et

nitur penitus alienum. De praescientia enim Dei ca-
tholicae fidei adversa non loquitur, » etc.

Idem in Praefatione ejusdem operis. « In capite
indicalorum sequentis operis sermonem Flori, quem

(b) Vide de hoc opere L. Cellotium S. I. P. in Hi-
storia Gotteschalci, libro I, cap. 26.

bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent; in malis vero non ipse fecit ut essent mali, quod absit; sed tantum præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Unde Scriptura incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi.* Quod ergo impie agunt impii et iniqui, et spatium temporis vitæ hujus, quod eis Deus dedit ad bene agendum, ipsi e contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei, sed ipsorum est culpa, et ideo recte damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injuste constituit, et *qui reddet unicuique secundum opera sua* (Rom. II, 6), id est, et bene agentibus bona æterna, et male agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, et per gratiam suam bonos futuros, et per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsentis sæculo bene victuros, et in futuro feliciter remunerandos, utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Unde Apostolus: *Vasa misericordiæ ejus appellat, dicens: ut ostenderet divitiis gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (Rom. IX, 23). E contrario autem, malos et præscivit per propriam malitiam malos futuros, et præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Juda proditore, *quod eum esset traditurus*, sicut Evangelium dicit, *cum esset unus ex duodecim* (Joan. VI, 72). Præsciebat etiam æternam ejus damnationem cum diceret: *Væ autem homini illi per quem Filius tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* (Marc. XIV, 21). Sic et de impiis Judæis præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (Ps. LXVIII, 22). Præsciebat et subsequentem ipsorum damnationem, de

A qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (Ibid., 29). Sed in istis et in omnibus iniquis illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo et de prædestinatione Dei omnino sentiendum est, quia in bonis prædestinavit, et ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, et pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Unde ait Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (Ephes. I, 5). Et in alio loco: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom. VIII, 29). Prædestinavit itaque electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur conformes imaginis Filii Dei, per eandem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati et glorificati. Prædestinavit omnino ut et hic essent boni, non ex se, sed ex illo; et illic beati non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis et de eis futura præscivit et prædestinavit. In malis vero et impiis non prædestinavit omnipotens Deus malitiam et impietatem, id est ut mali et impii essent, et aliud esse non possent. Sed quos præscivit [cod. Her., sed quia eos præscivit] et prædestinavit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio: non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimetipsis exstiterunt causa perditionis. Deus autem iudex justus et ordinator justus ipsius damnationis: non enim prædestinavit injusta, sed justa; prædestinavit tamen et coronas justis et pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait: *Nunquid iniquus Deus qui infert iram? Absit* (Rom. III, 5). Et quia modo omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam: et qui pereunt, suo contemptu et duritia pereunt; quia tantam bonitatem Dei contempserunt, iterum alio loco dicit: *Andivitiis bonitatis et patientiæ, et longanimitatis ejus contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam justo judicio; in illa rotula scriptum habetur quam de Heriboldo accepimus: Sed quia eos præscivit et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædestinavit ad æternam damnationem, qua ipsi punirentur justo judicio.* Et in eo loco ubi scriptum est: *Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit, ut impunitus non esset; invenimus in rotula, quam a prædicto Heriboldo accepimus: Sed vere prædestinavit pœnam, ut omnis malus impunitus non esset.* Quod in sequentibus ipse demonstrat dicens: *pœnam eorum et præscisse, quia Deus est, et prædestinasse, quia justus est.* Cætera catholici lectoris judicio derelinquimus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro ponere necessarium duximus, quia ex eo confictor in proximo subsequentium capitulorum duo capitula de Præscientia et Prædestinatione confuso et præpostero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo capitulo studuit compitare, sicut qui hunc et illa legerit aperte intelliget. »

et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. II, 4-6). Hinc etiam alia Scriptura testatur dicens : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes amicam defluerunt, et sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius* (Sap. I, 13, 16). Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit, sed ipsam mortem et perditionem manibus et verbis ipsi impii sibi accersunt, dum nequiter operando, et nequius aliis persuadendo, et sibi et illis damnationem adducunt: dum viam iniquitatis et perditionis amantes, a recto itinere deflectuntur, et ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiae quasi ex voto et sponsione festinant, fœderati mortis et vitæ æternæ inimici, ipsi secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die justi iudicii Dei, quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præiudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset [*cod. Her.*, prædestinavit pœnam, ut omnis malus impunitus non esset]: quia et unaquæque lex juxta crimen non habet, ne sit injusta; et tamen criminosa punit, ut vere sit justa. Qui ergo dicit quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, et ideo aliter evenire non potest; similiter quoque et de justis, tanquam et ipsi ideo salvantur quia prædestinati ad salutem, aliud esse non potuerunt; qui ergo hæc tam confuse et insulse dicit, et illis tollit meritum damnationis, et istis meritum salutis. Ac per hoc quid aliud agit, nisi ut et pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, et his qui salvantur sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi juste damnantur, quia justi esse non potuerunt, nec isti juste remunerentur, quia aliud quam justi esse nequiverunt: ut in utraque parte et perditio et salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio divinæ præordinationis. Et ubi erit illud: *Qui reddet unicuique secundum opera sua?* (Rom. II, 6.) Et iterum: *Nunquid iniquus Deus qui infert iram?* Absit (Rom. III, 5). Aperte namque causa perditionis illorum qui pereunt, in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinavit, ut aliud esse non possent: quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cuius filii et sectatores esse debemus, ita nobis firmissime tenendum insinuat, ut superius juxta Scripturæ sanctæ auctoritatem breviter designavimus: videlicet, omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est; pœnam vero eorum et præscisse quia Deus est, et prædestinasse quia justus est, ut et in illis sit meritum suæ damnationis, et in illo potestas et iudicium iuste damnantis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus

est: præscivit vero multa quæ ipse facturus non est: sicut omnia mala: quæ mala utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, et suo vitio vasa iræ apta in interitum (Rom. IX, 22) perseveraverunt, et in massa damnationis vel originali vel actuali merito permanserunt. In bonis autem omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, utrumque præscivit et prædestinavit, ut et in præsentis vita per suam gratiam existerent boni, et in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est et præsentis et futuri, ipse est auctor et ipse largitor, et idcirco sine dubio utriusque præcognitor et prædestinator: quia et ipsi ex seipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum, qui justificat impium, ex impiis B justis efficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis quia per gratiam Domini Salvatoris est sanata, ut ex mala et prava fieret bona et recta, est procul dubio dignissime coronata: in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissime per eundem iudicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum quod de libero arbitrio juxta veritatem fidei catholicæ est tenendum, quod scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. V, 12), ita istud liberum arbitrium in universo humano genere C illius prævaricationis merito vitiatum et corruptum, ita obcæcatum est et infirmatum, ut sufficiat homini ad male agendum, id est ad ruinam iniquitatis, et ad hoc solum possit esse liberum: ad bene vero agendum, id est ad exercitium virtutis et fructum boni operis, nullo modo assurgat et convalescat, nisi per fidem unius Mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu et donum Spiritus sancti instauretur, illuminetur atque sanetur: sicut ipse Salvator in Evangelio promittit dicens: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (Joan. VIII, 36). Et Apostolus ait: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. III, 17). Ut per hanc gratiam Christi et Spiritus Christi humanum liberum arbitrium liberatum, illuminatum atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ: *Dominus illuminatio mea et salus: quem timebo?* (Psal. XXVI, 1.) Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene et pie vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandumque committat, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (Psal. XXXVI, 23). Illum oret atque illi supplicet dicens: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur me omnis injustitia* (Ps. CXVIII, 133). Et iterum: *Domine, deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua* (Ps. V, 9). Et cætera similia. Hæc vobis breviter rescripsi ad ea quæ jussistis. Nunc fideliter deprecor et ex-

hortor ut in simplicitate et sinceritate veræ fidei fundati, claudatis aures vestras adversus linguam nequam illius vanissimi et miserrimi hominis, qui cum sit paratus ad contentionem, et contumax ad-

A versus veritatem, maluit se infelix, diabolico inflatus spiritu, a Christi Ecclesia et sacerdotibus separare, quam sua profana et inaniloquia desere-
rere.

FLORI DIACONI

SUB NOMINE

ECCLESIAE LUGDUNENSIS *

ADVERSUS

JOANNIS SCOTI ERGENÆ ERRONEAS DEFINITIONES

LIBER ^b

(Ex Bibliotæca Patrum maxima.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit libellus FLORI adversus cujusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Joannes, ineptias et errores de prædestinatione et præscientia divina et de vera humani arbitrii libertate.

PRÆFATIO.

Venerunt ad nos (id est, ad Ecclesiam Lugdunensem) cujusdam vaniloqui et garruli hominis scripta, qui velut de præscientia et prædestinatione divina.

B humanis et, ut ipse gloriatur, philosophicis argumentationibus disputans, nulla ratione reddita, nulla Scripturarum sive sanctorum Patrum auctoritate prælata, velut tenenda et sequenda sola sua præ-

NOTÆ DUVALLII DOCTORIS SORBONICI.

(a) Magna est inter theologos de sequentis libri vero auctore disceptatio, aliis Floro magistro seu diacono, aliis Remigio Lugdunensi archiepiscopo, aliis Ebboni Gratianopolitano episcopo illum tribuentibus; pro cujus solutione consule P. Ludovicum Cellotium, S. J. P., in Historia Gotteschalci, lib. II, cap. 24; libro III, c. 15, et lib. IV, cap. 14 et 15.

(b) Advertendum imprimis Ecclesiam Lugdunensem disputatione sua præcipue invehi in modum loquendi Joannis Erigenæ, qui Pelagianis favere maxime videbatur, ista ut indoctiores quilibet eo facile deciperet in hæresim labi possent. Quod isto in limine proponere operæ pretium duxi, ut videant nostri sæculi novatores quantum veteres non solum dogmatum, sed etiam nominum ipsorum novitatem horruerint, scientes quod olim scripsit Hieronymus apud magistrum in 4, dist. 13, in fine: « Ex verbis inordinate prolatis incurri hæresim; » itemque libro adversus errores Joannis Hierosolymitani, verborum ambiguitates non esse in Ecclesia admittendas. « Qui pure, inquit, credit, pure loquatur. »

Quis autem fuerit ille Erigena accipe ex Matthæo Westmonasteriensi, ad annum 883: « Eodem anno venit in Angliam magister Joannes, natione Scotus, vir perspicacis ingenii et facundiæ singularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas transiens, Carolum Calvum adiit, atque in magna ab eo dignatione susceptus, individuus comes ei fuerat mensæ et cubiculi. » Et post aliqua de illius ingenii felicitate recensita, subdit: « Rogatu ejusdem regis Hierarchiam Dionysii Aeropagitæ de Græco in Latinum transtulit, et alium librum edidit quem περί φύσεως μερίσμου, id est de naturæ divisione, intulavit, esse quem utilissimum ait ad varias quæstiones fere insolubiles enodandas. Si tamen ei in quibusdam ignoscatur in quibus a Latinorum tramite

deviavit, cum in Græcos acriter oculos intendit: unde et hæreticus a quibusdam putatus est; scripsit enim contra eum Florus quidam (qualis ille fuerit ignoratur) qui et ejus scripta depravando damnavit. Sunt enim revera in prædicto libro perplurima quæ, nisi diligenter discutiantur, aliena a fide catholica judicantur. » Et statim subdit epistolam pontificis Romani Nicolai [f. Marini] ad Carolum Calvum: « Relatum est apostolatu nostro quod opus Dionysii Aeropagitæ quod de divinis nominibus et de cælestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, natione Scotus, nuper transtulit in Latinum, quod juxta morem Ecclesiæ nobis mitti et nostro judicio debuit approbari, præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur olim, non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc infamiam idem Joannes Franciam relinquens venit in Angliam, ubi post aliquot annos a pueris quos docebat graphiis perforatus, animam exhalavit tormento gravi et acerbo. Jacuit autem aliquandiu in humili sepultura in beati Laurentii basilica: sed ubi divinitus cecidit super eam sepulturam radius ignis cælestis, monachi de talibus animati revelationibus, in majorem transtulerunt ecclesiam, et ad sinistram altaris partem honorabiliter locaverunt. » Hæc Westmonasteriensis. His omnibus addit epitaphium Guillelmus Malmesburiensis (lib. II, c. 4), cujus versus scabri quidem et moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo deformes.

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes
Qui ditatus erat tam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit sancti regnant per sæcula cuncti.

D Baronius ad annum 882 dicit a nullo causam prodicur ea passus sit, ut martyr dici possit. Genebrar-